



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 25. Humilitas amat latere, celat laude digna, fugit pompam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

humilitas honorata. S. Bernardus hom. 4. sup. Miss.

Magna, & rara, virtus profectio est; ut, magna licet te operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilis iudico. S. Bernardus serm. 13. in Cant.

Animæ veritatis, ac DEI, amantes, quanto spiritualiter ditiores sunt, tanto pauperiores apud se sunt. S. Macarius hom. 10.

Semper ex mensura humilitatis pendet mensura magnitudinis. Rich. à S. Viçt. de erud. hom. l. 2. c. 32.

In proficiente, cum crescente gratia, crescit & humilitas; & quantum dives fit, tantum se inopem credit: quia degustata gratia amplius hanc accendit. Id. c. 3. in Cant.

§. XXV.

Humilitas amat latere: celat laude digna, fugit pompam.

Num. I.

Primum exemplum Christus D.

DUABUS VELABANT FACIEM EJUS. If. 6. 2. Ut gratiam offerant DEO clientelam, ejus faciem occultare satagunt: sciebant enim Domini propensionem ad sese occultandum. In throno operitur alis Seraphinorum; in stabulo stipatur belluis: in præsepio celat gloriam; & divinitatem suam humanæ carnis nube, tegumento palæarum, panniculorum, & fasciarum involucri. Arcones in If. 1. Disc. 3.

Ubi est, qui natus est rex Judæorum? Matth. 2. 2. Qua ratione adducti sunt, ut sibi persuaderent; eum, qui recens natus est, esse & regem Judæorum, & redemptorem Mundi, & verum DEUM? Rationem dant: *vidimus enim stellam ejus in Oriente.* Si DEUS est, ut ajunt, qui recens natus, quid dicunt agnoscere se ejus divinitatem, quia stellam ejus viderunt? Nonne facilius eum agnovissent, si plures stellæ, quasi totidem famuli facigeri illis præluxissent, quam una sola? Minime: nam hinc DEI majestas, differentiaque illius ab homine, intelligitur; quod homo, cupiditate suâ illectus, unam pro pluribus stellis promptè relinquet: verum DEUS multas præ una deferit. Didacus Niss. D. Palm.

JESUS ductus est in desertum. Matth. 4. 1. Quamdiu virtus, & DEI sapientia, quasi infirmus aliquis, & insipiens, lates in populo? - ô humilitas virtus CHRISTI! quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio; vel magis, scire mihi videor; & jam silere non possum: impudenter me, & imprudenter, ingerens, & ostentans; promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. S. Bernardus serm. 1. in Epiph. D.

Ecce rex tuus - sedens super asinam. Matth. 21. 5. Si Propheta Zachar. 9. 9. solum *Polyanth. Satr. Tom. I.*

dixisset: *ecce rex tuus veniet tibi justus, & Salvator;* dubios nos reliquisset: cum multi sint, fuerintque justii reges, & suorum subditorum sospitatores. Idcirco Prophetam appellat: da nobis signum, quod alij reges non habent; da nobis signum proprium regis, cujus regnum annuntias. Respondet vates: ecce vobis signum illud speciale: *ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asina.* Didacus Niss. ib.

Hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. 12. Et hæc sunt DEI indicia? mendicabulum potius, quam DEI Filium, loquuntur pauperes panni, & præsepium. Sed bene dicit Angelus: *hoc vobis signum:* nam quod elegit vile stabulum, angustum præsepe, pauperes pannos; qui poterat sibi curare sumptuosum palatium, magnificum stratum, pretiosa peristromata: hoc infantis homine majoris signum est: hoc DEUM indicat; qui majora minoribus postponit. Id. ib. Raros invenias, qui splendorem premant, nè erumpat, & sub pallio humilitatis abscondant. Hoc facinus viri excelsi est, & imitatoris JESU. O quot latibula invenit natus in Bethlehem puer! Divinitatem obscurat, potentiam, sapientiam; regiam dignitatem abscondit. Arcones in If. 1. Disc. 3.

Implete hydrias aquâ. Joan. 2. 7. non vina exundare jussit in vacuis hydriis; sed eas prius impleri curavit aquâ; ut minore fulgore prodigij coruscaret. In Thabor Matth. 17. 2. solem sibi locavit in vultu: non ut videretur fulgidior; sed nè in fulgore suo videretur: quis enim in solem respicit? Et, dum Moyse, & Elias, evanuerunt, mox totum illum triumphi apparatus dissolvit; monitis etiam Apostolis, nè cui dicerent visionem. Oliva l. 4. Strom.

Potens erat, & despiciendum se præbuit. Terram movebat, & hærebat in ligno; cælum obducebat tenebris. Mundum crucifigebat, & crucifixus erat: inclinabat Caput, & exibat verbum: exinanitus erat, & replebat omnia. S. Ambrosius in Pl. 118. oct. 3.

Num. II.

Alia Exempla, & testimonia.

Agar ab Angelo antice salutata, Gen. 16. 7. & de beneficiis divinitus accipiendis edocsa, domum tamen regressa, nil de illa revelatione sanctissimis conjugibus manifestavit. Humili potius silentio, quam vanò colloquio, divinum oraculum venerata. Mendoza in 1. Reg. 3. v. 15.

Manus hæ, Ezech. 1. 8. erant sub alis penis, iisque velabantur: quia operationes Christi tegebantur carnis assumptæ infirmitate: ut doceret Fideles suos, pari modo dona DEI non ostentare, sed humiliter abscondere. Cornelius hic.

Mare, quas sibi parat opes, occultit, cadavera autem emittit ad littus, vel in extimam sui partem. Tellus omnem pompam explicat. Oliva lib. 9. Strom. §. Spiritus DEI ferebatur &c.

Sss s

§. XXVI.